

rare; — V. Salutem animae et propriam vocationem serio amare; — VI. Severitatem iudicii perpendere; — VII. Praesentiam Dei saepissime ad mentem revocare; — VIII. Continua in spiritualibus exercitatio; — IX. Non comparare se cum aliis; — X. Nunquam subsistere, sed quotidie fortiter quasi denuo incipere: *Ecce nunc coepi...*; — XI. Beneficia accepta et misericordias Dei memorare; — XII. Damna tepiditatis considerare, et quantum tepidi Deo displiceant meditare; — XIII. Praemium fervoris ponderare. — Denique semper recordandum et tenendum quod ad omnia quae vitari debent facilius et securius vitanda, *Maria frequentius invocanda, colenda, diligenda.*

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — Quia Mater nostra Maria merito vocatur fons pietatis, « ad hunc igitur fontem sitibunda properet anima nostra. Ad hunc misericordiae cumulum tota sollicitudine miseria nostra recurrat » (S. Bern. *serm.* 4, *de Assumpt. B. V.*).

Mariam invoca. — Quis ergo misericordiae tuae, o benedicta, longitudinem et latitudinem, sublimitatem et profundum queat investigare?... Per te enim coelum repletum, infernus evacuatus est, instauratae ruinae coelestis Jerusalem; expectantibus miseris perdita vita data (id.).

Mariam laetifica. — Mortalia, venialia et teporem efficaciter detestando: perfectionem vitae B. Virginis meditando, et pro viribus imitando. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. IV.

DE OPERIBUS SIVE DE PRAXI VITAE PURGATIVAE SPECIATIM, ET PRIMO DE DEFECTIBUS PURGANDIS.

82. — *Necessitas Purgationis* patet ex peccatorum, defectuum et imperfectionum foeditate et effectibus, et ex hucusque dictis. Unde « qui agrum non coluerit (id est, animam suam non mundaverit) et spinis eum opprimi permiserit, habebit in hac vita maledictionem terrae suae, et post hanc vitam, habebit vel ignem purgationis, vel poenam aeternam » (S. Aug. *de serm. Dom. in monte*, l. 2). — « O stultitia mirabilis! mundat homo faciem, manus, pedes, imo etiam calces mundat, et miserum cor non mundat » (S. Bonav. *serm.* 2, *fer.* 2 *p. Pascha*). — « Quid stultius? quid detestabilius? quid inordinatius? vis habere omnia munda, et animam coelo nobilior non curas esse immundam » (id. *serm.* 4, *de SS. Apost.*).

83. — *Objectum purgationis specialis* REDUCITUR AD PECCATA CAPITALIA (seu eorum consecraria), PASSIONES et POTENTIAS. Unde agemus *de defectibus purgandis, de passionibus moderandis, de sensuum externorum et internorum purgatione*, et speciali